

ciorum esset, demonstrare se causas habere ex Scriptura sufficientes, cur illis institutis inhaerent, quas tamen nunquam exponere poterunt. In Audeanorum haeresibus tale quid nihil legere ac deprehendere potuimus, etiam si Epiphanius haesi-
70. corum dogmata fusius recitet. Hoc saltem nota-
mus, non potuisse Audeanos hunc errorem, qualis tamen
non est, docere, ubi nemo erat, qui Poenitentiam pro Sacra-
mento venditaret, neque potuisse Confessionem auricularem
increpare, quae nondum fuerat in usu: ut DALLAEUS eruditio
libro declaravit, a quo si in nonnullis nobis discedendum sit,
hac tamen parte abeundum non putamus.

§. XXI.

Nondum criminacionum finis aut modus est. Quando in S. coena a fermento Pontificio repurganda omnem ope-
ram posuerunt pii Confessores, repetito convitio nobis EU-
TYCHIS haeresis objicitur, quam committamus, dum pree-
sentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistia ex articulo
de unione hypostatica duarum in ipso naturarum deducimus,
& possibilitatem ejus demonstramus, cum tamen doctrina
nostra, ut supra deductum, quae de illa unione agit, totam
Eutychianismi machinam plane prosternat & disjiciat. Conf.
GERHARD. Conf. Cath. L. II. P. II. Art. XV. p. 1242. & Praefat.
Libri Concordiae nostri. Porro AERII notam nobis in urere
cupiunt, quando admittere nolumus Missam superstitionis
& offertoria pro defunctis, tanquam certas notas Anti-Christi,
a quibus omni studio abstinendum putamus. Nihil illis in
hoc articulo solennius: *Aeriani Haeretici*, sic Bellarminus
scribit, teste Epiphanio haeres. 75, tres errores docuerunt, orare
vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec statuta
solenniter celebranda esse jejunia, sed cum quisque voluerit,
jejunandum, ne videatur esse sub lege l. c. Eadem docent &

E faci-